

The Eleventh Labor: The Golden Apples

Part 1

Decimō labōre confectō, Eurystheus Herculī undecimum labōrem imposuit. Herculēs aurea pōma ex hortō Hesperidum reportāre dēbuit. Hesperidēs erant nymphae pulchrae, quibus haec pōma ā Jūnōne commissa erant. Aliī hominēs, aurī cupiditāte inductī, pōma auferre sine successū temptāverant. Rēs difficillima erat. Nam hortus, in quō pōma erant, altō mūrō circumdatus est. Dracō, cui fuērunt centum capita et quī numquam dormīvit, portam hortī custodīvit. Praetereā situs hortī erat Herculī omnīnō ignōtus. Herculēs, quamquam opus erat difficillimum, cōstituit tamen Eurystheō parēre.

Multa itinera per multās terrās fēcit, sed dē sitū hortī nihil invenīre potuit. Tandem in longinquam terram pervēnit, quae Ōceanō proxima erat. In illō locō Atlantem, gigantem ingentis corporis, quī caelum umerīs sustinēbat, invēnit. Ab eō Herculēs auxilium petīvit. Quod Atlās erat pater Hesperidum, situm hortī cōgnōvit et Herculī prōdesse voluit, sed dracōnem

maximē timuit. Herculēs autem, sagittā trāns mūrum trājectā, dracōnem statim interfēcit. Deinde negōtium caelum sustinendī suscēpit, dum Atlās abest.

Herculēs reditum Atlantis plūrēs diēs expectāvit, neque ūllam fāmam dē reditū ejus audīvit. Tandem, longā morā commōtus, eum cum tribus pomīs redeuntem vīdit. Atlās autem pōma Herculī nōn dedit, quod ipse Eurystheō ea trādere volēbat. Hoc Herculī nōn plācuit, quī novum cōnsilium cēpit. Atlās, ut Herculēs rogāvit, pondus caelī recēpit, dum Herculēs pulvīnum umerīs suīs impōnit. Deinde Herculēs pōma cēpit et, magnīs gratiīs Atlantī actīs, ad Graeciam iter facere properāvit.